



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Cvthbertvs Ep. 20. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

tum ancillam facrat, nullam cum hoc sacrificio re-
pulsam ab arâ extimescens. Ipse certus de Servitore
finum Arahæ petit, inde paucis post annis
triumphantem CHRISTVM ovans sequitur in cæli
arces. Ibi ille olim sterilis senex omnium paren-
tum gloriam nunc exæquat. Summa ejus est, ge-
nuisse talem filiam, quæ talem illi nepotem pepe-
rit. Ex S. Io, Damasc. l. 4. de Fide Orth. & orat.
de Nat. Maria.

*Si primò non ex audiris, ab oratione non deficias;
imò precibus & clamori insistas; vult Deus rogari,
vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo
tibi dicit: Regnum celorum vim patitur, & vio-
lenti rapiunt illud. S. Greg. in psalm. 6. Pœnit.*

S. CVTHBERTVS EP. 20. Martij.

EXultabat puer CVTHBERTVS insolentiùs in-
ter æquales suos, victor cum omnibus aliis in
ludis, tum in luctâ præcipuè. Interea puero Pæda-
gogum submitit cælum trium annorù pusionem,
qui gravibus verbis castigavit leviculum, jussitque
mores assumere, qui infulam, quâ olim insignien-
dus esset, exornarent. Et audit CVTHBERTVS
Deum in infante loquentem, & jam tum abire ad
partes religiosorum hominum cogitavit. quod ut
posset faciliùs, ægrotantis genu Medicus Ange-
lus, equo candido insignis, curavit. Homines
deinde ut pascere olim sciret, pascere pecora insti-
tuit, & vigil inter preces in illustri nocte Aidanum
Episcopum cælo vidit subire. Posthæc inter Reli-
giosos cum hospitem curam haberet, inter hos
aliquando Angelum numeravit. Nocturnas Vene-
ris faces sæpius rigentibus aquis mersus collo te-
nus extinxit. Episcopus Lindisfarnensis, altero
statim

Itatim anno libentiùs infulam posuit, quàm sumpsit. Mira quæ patravit plurima alia narrant, & inter hæc feras abactas à pascuis, ab agris aves, ex corporibus tortores demonas, corpus quoque ejus post annos quadringentos decemque & octo integrum mirantur. At me judice majus miraculum tu facies juvenus, si vel pauculos illos annos, quibus vives, integrum corpusculum servabis. *Ex Bedâ.*

O quàm compositum reddit omnem corporis statum, nec non & mentis habitum disciplina! cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, gulam frenat, iram sedat, format incessum. S. Bern. in Ep. ad Soph. V.

S. WVLPHRANNVS EP. 20. Martij.

WVLPHRANNVS est Senonum Pont. idemque Frisiorum Apostolus. Ad hos cum mari contederet, & Ministro sacer calicis orbis imprudenti in undas excidisset, jussit brachium hunc in aquas tendere. Tendenti continuo orbis, spectatores Christo adhaerunt. Morem vel Gente suam barbarum magis, quo victima Diis improbis juvenus innocens cadebat, non uno miraculo antiquavit. Nam & suspensum puerum à laqueo absolvit, & ut geminis aliis, qui mari exæstuant præda expositi fuerunt, succurreret, sicco pede undas perambulavit, & dextram hunc, illum sinistra molliter prehenso ad litus eduxit, mox meliore aquam, & Christiano ex more mersos mari restituit incolames. Atque his miris filium etiam Ducis Radbodi ad Christum pertraxit, sed non Radbodum ipsum. Nimirum jam factis undis etiam iste admoendus, cum ex WVLPHRANNO intellexisset, Majores suos, Ducesque Frisonum omnes (qui